

NATÁLIS CO-
MITIS MYTHOLO-
GIÆ, SIVE EXPLICA-
TIONIS FABVLARVM,

Libri decem:

*In quibus omnia propè Naturalis & Moralis Philosophiæ
dogmata contenta fuisse demonstratur.*

Nuper ab ipso autore recogniti & locupletati.

EIVSDEM LIBRI IIII. DE VENATIONE.

Cum Indice triplici, rerum memorabilium, virium & locorum à variis heroibus denominatorum, ac plantarum & animalium singulis Diis dicatorum.

Opus cuiuslibet facultatis studiosis perutile ac propè necessarium.
Accessit G. Linocerij Musarum Mythologia, & Anonymi
Observationum in totam de Diis Gentium
narrationem, Libellus.



Excuditur Allobrog.

EXCVDEBAT SAMVEL CRISPINVS.

M. D C X.






I L L V S T R I S S I M O
A T Q V E R E V E R E N -
D I S S I M O D O M I N O

Io. Baptistæ Campeggio Ma-
ioricensi Episcopo

S. P.



D I C A V E R A M libros hos Mytho-
logicos Serenissimo Gallorum Regi Ca-
rolo Nono fel. mem. tanquam munus
non planè regia celsitudine indignum,
ut in quibus omnia sapientia præce-
pta contineantur tam ad mores, quam
ad naturam huiusce vniuersi spectantia. Sed bellici
tumultus de religione in vniuersa propè Gallia insur-
gentes ita illam Regem vexarunt dum imprim. ven-
tur, ut ad quiduis potius, quam ad literarum cogni-
tionem oculos detorquere liceret. Inde effectum est, ut
neque tunc missi sint ad Regem ut importunè inter ar-
ma ubique obstrepentia: neque postea, ut res iam in-
ueterata, et in manibus omnium diu versata. At nunc
mortuo illo Rege cum multis rebus aucti locupletati-
que denuo prodeant in lucem, vel ut antiquorum in-
stitutum seruem, qui sua opera viris illustrioribus sua
tempestatis, præstantioribusque gloria, virtute, aucto-
ritate consecrarunt, vel ut per hanc opportunitatem in
gratiam amplitudinis tue admitterer, volui tibi opt.
Ioan. Baptista Campeggi hanc Mythologiam reuocata
tam à frustra instituta dicatione regia consecrare.



NATALIS CO-
MITIS MYTHO-
LOGIAE.

LIBER PRIMVS.

Quod sit totius operis argumentum.

CAP. I.



V M tantam esse perspicio cognitionis antiquarum fabularum utilitatem Illustriss. atque optime Ioan. Baptista Campaggi, quas poëtae, veteresque sapientes suis scriptis inseruerunt; quantam nullo orationis genere complecti possem: admirabile quiddam profectò mihi videri solet, cur nullus ex antiquis scriptoribus ad hanc usque diem vniuersam insignium fabularum explicationem susceperit. Atque ideò magis, quòd vniuersa philosophiæ præcepta sub his ipsis fabulis, antiquitus continebantur: quippe cum non ita multis annis ante Aristotelis, & Platonis, & cæterorum philosophorum tempora, omnia philosophiæ dogmata non aperte, sed obscure sub quibusdam integumentis traderentur. Græci enim cum occultam philosophandi rationem ab Ægyptiis in patriam adduxissent, ne res admirabiles in vulgus ederentur, quòd illis malè perceptis ab religione & ab omni probitate plerumque id facile desciscat: & ipsi per fabulas philosophari clam cœperunt. Deinde cum sequentibus temporibus res fuisset deo data, omnisque recte